

& moralis Instrumentalis. Prioris membri differen-
 tias supra excorticavimus, posterioris autem discrepantiam,
 brevissimis perspiciemus, & quidem ita præprimis differunt,
 quod Instrumentalis Physica in effectum realem obtinet influ-
 xum, moralis verò non ita. Physica Instrumentalis non admit-
 tit ejusdem Generis aliam concurrere ad eundem effectum, sed
 unum ad eum producendum sufficit adæquate. Causa vero Mo-
 ralis Instrumentalis in genere morum plures admittit causas in-
 strumentales concurrentes & quidem totales ad eundem effe-
 ctum; Sic plures causæ effectum causant impetrando, cum tamen
 ad eum impetrandum quælibet sufficiens esse possit, nihilominus
 tamen plura hoc effectum impetrare queunt, & sic plura instru-
 menta moralia effectum procurant, licet sint totalia & adæqua-
 ta. Aliter enim res comparata est cum Instrumentis Physicis,
 naturaliter enim per plura instrumenta totalia physica effectus
 effici nequit. Sic v.gr. non procedit, si in una Scriptura plures
 admoventur calami. Ratio autem hujus diversitatis potissima
 est, quod Causa Physica ex influxu reali effectum consequitur,
 moralis autem solummodo ex imputatione.

§. XVII.

Porro Causa Moralis est vel **per se vel per Accidens**
tal. Causa moralis per se est, qui ita se gerit in
 genere morum, ut etiam intendat effectum. Per
 Accidens est, quæ ita in genere morum se gerit, ut ipsi effectus
 imputari possit, interim tamen illum non intendit.
 Hinc aliquoties evenit, ut id, quod est causa per se in genere mo-
 rum sit causa per accidens in genere naturæ, & contra, quodcun-
 que est causa per se in genere naturæ, causa per accidens est in
 genere morum; Sic Navigatoris absentia in genere morum facti
 naufragii est causa per se, in genere autem naturæ causa per acci-
 dens. Sic aviculam bombardam trajicere gestiens, si ex improvi-
 so adstantem interficit, causalitatis respectu est causa interfectio-
 nis per se in genere naturæ, quia reali actione physica ipsum in-
 teremit. Quoniam verò præter intentionem & inopinato mor-
 tem.

D

tem.